



**S**ANCTUS Alfridus magna pietate & eruditio-  
ne fuit insignis. Itaque cum Hildesheimenfis ec-  
clesia uacaret, quartus eius loci Episcopus omni-  
um consensu electus fuit. In eo officio docendo  
& instituendo eam diligentiam præstítit, ut om-  
nibus admirationi esset. ea etiam quæ docebat ip-  
se prímus præstabat. Is templum illud cathedralē  
à fundamētis extruere cœpit, & uiginti sex annis  
perfecit. Canonicis etiam habitationem ædifica-  
uit, atque eos unā habitare, tāquam in publica scho-  
la iussit, ut se se inuicem ad pietatem hortarentur,  
atque omnibus alijs exemplo essent. Vnde ea disci-  
plina ab Alfrido inchoata, postea per multos an-  
nos in eo collegio permanxit. Itaque S. Heinricus dicere erat solitus, se se ex ani-  
mo optare, ut sua ecclesia (quam Bambergæ fundarat) mores Hildesheimen-  
sium Canonicorum imitaretur. Cum autem Alfridus circa Coloniam natus  
& educatus esset, ibidem Esse monasterium ædificauit, atque in sua ditione ali-  
ud Asuede dictum. Cum hoc modo per triginta annos magna laude suæ Ec-  
clesiæ præfuisse, tandem anno 876 uitam cum morte commutauit, atque in A-  
suede sepultus quiescit. Vbi etiam postea canonizatus, & in sanctorū nume-  
rum relatus fuit. Anon. Crantz.